



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Martyrivm SS. Codrati, Cypriani, Dionysii, Anecti, Pauli, & Crescentis, quo affecti sunt Corinthi. Anno Christi Saluatoris 254. Sede vacante. Decij Imp. 2. sub Iasone Præsidente; Ex eo quod est per ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

MARTYRIVM SS. CODRATI, CYPRIANI, Dionysii, Anecli, Pauli, & Crescentis, quo affecti sunt Corinthi. Anno Christi Saluatoris 254. Sede vacante. Decij Imp. 2. sub Iasone Præsidente. Ex eo quod est per Metaphrasten.

vide
Cæf. Baron.
Anna. To. 1.

10 Martij.

Cum omnes Sanctorum celebritates debitis laudibus prosequimur, tum sanè horum (qui cum exquisita viuendi ratione ad summum maximarum virtutum fastigium peruenissent, nihil tamen præclare à se gestum, nihil laude dignum existimauerunt, nisi fauientis inimici rabiem sanguine suo extinguerent) summo studio extollere debemus. Inter quos Codradus primas in ordine certaminis tenens, ab ipsis incunabilis admirandæ virtutis specimen præbuit.

Codrati
mirabilis
educatio.

Nam matre infans adhuc orbatus, maternis que destitutus vberibus, cælesti adiutus obsequio vitam sustentauit. Christus enim signis minimè obscuris, curam eius habebat: cum nubium eximio fulgore micantium ministerio infantem amplecteretur, & tanquam pia genetrix vlnis confectum nutrirèt. Hęc prima infantis educatio, quæ diuinis quibusdam pariter cum corporis robore virtutibus illustrabatur. Vt primum ætas disciplinæ capax fuit, medendi facultatem studiosè cõplexus est. Vir autefactus declarauit quishæ esset futurus, nec vlllos pro Christi gloria hominumque, salute labores recusabat; aded vt admirabilis virtutum eius maximarum splendor, longè lateque sese diffunderet.

Interea Iason Græciæ Præsfectus, Decij & Valeriani Imperatorum mādato, crudelem in Christianos animum induit, vt vel cuctons à fidei constantia.

Iasonis Græciæ
præsfecti, in Christi

Aianos per-
secutio.

stantia ad impurum nefariorum Deorum cultum traduceret; vel omni suppliciorum atrocitate ad internecionem deleret. Et primum quidem horum militum principem Codratum ficta blandi sermonis specie aggressus est, ut sui aliquam misericordiam caperet, malletque, cum summa nominis sui gloria Magnatibus charus vivere, quam varijs affectus tormentis, cum insigni dedecore vitam abrumpere. Ad hæc Codratus ita respondit, ut præfectus intelligere posset, vitam hæc infinitis miserijs & calamitatibus circumuentam flocci esse faciendam, communi naturæ lege omnibus esse moriendum, & ab ea quidem necessitate liberum esse neminem, nec maiorem sempiterni nominis gloriam offerri posse, quam in Christi veri Dei confessione, contra omnem impietatem ad extremum vitæ spiritum decertare.

Ad hæc Præfectus collaudata hominis mente dixit, se tam præclaram sapientiam admirari, sed videret, ne errore deceptus, Christum à Iudeis in crucem actum pro Deo coleret. Tum Codratus, Quamuis, inquit, de rebus maximis loqui, ingenij viribus impar sim, confido tamen, si indignatione deposita, aures mihi attentas præbere velis, te nullo modo vim veritatis repellere posse. Et sanè luculenta oratione de Christi mysterijs ad humanam salutem constitutis disseruit; quæ licet impius mentis intelligentia comprehendere non posset, vehementer tamen orationis gravitatem est admiratus. Sed ne martyris prudentiæ contra Imperatorum edictum, aliquid concessisse videretur, iussit statim Christi seruum virgis crudelitate, cum Codratus, cruciatuum victor, Ignoras, inquit, o Præfecte, Christi virtutem, cuius gratia
contra

Codratus
virgis cæditur.

contra omnia suppliciorum genera, inuicti permanebimus. Deliras planè, si nos credis suppliciorum metu virtutem deserturos.

Hac martyris fortitudine territus Præfectus, ad alterum se conuertit, quem mira orationis suauitate in suam adducere sententiam conatus est. Cyprianus autem, quamuis in primo ætatis flore constitutus, facile in fraudem pelli posse videretur, Codrati tamen & oratione & virtutis exemplo roboratus, inuictum se præbuit. Codratus enim non cessabat diuino eloquio ad constantiam eos hortari, cuius verbis, quamuis ætate iuuenes, excelso admodum animo Iudicis furorem sustinebant.

Cyprianus interim sæuis admodum verberibus exercebatur, cum Codratus & virtutis pulchritudine, & continua horratione animum illi addens, expirauit. nec tamen propterea Cyprianus animo concidit, sed tempestatis æstum egregie sustineus, eodem sine quieuit. Tertius Dionysius virtute alijs non inferior, animo Christi amore vehementer incenso; ad certamen properabat. Quartus, qui Anectus appellabatur, nullam tormentorum vim recusauit. Quare perspecta Præfectus hominis fortitudinem admiratus; impietate furens, quantum ad quæstionem adduci iubet. Is erat Paulus, qui nullis tyranni contumelijs fractus, certamen inuicto animo sustinuit. Restabat Crescentis, qui sacro sociorū cœtu dignum se pugilem præstitit.

Cæterum dum squalore carceris, varijsque tormentorum generibus martyrum constantiam explorasset princeps insanus, neque eos supplicijs superari posse animaduerteteret, nè cū insigni nomi-

Conuertit
se ad Cypri-
anū Præfe-
ctus.

Cyprianus
verberatur,
& Codratus
expirat.

Dionysii
certamen.

Itē Anecti.

Item Pauli.

Crescentis
item.

Damaantur
capitis mag-
tyres.

Caduntur
gladio.

Fontes in
loco suppli-
cii, mirabi-
liter emana-
sunt.

nominis sui dedecore certamen protraheret, ca-
pitis eos sententia damnauit ita ut singuli singu-
los sequerentur carnifices. Et hoc quidem modo
sanctos ad locum sceleratorum hominum sup-
plicijs infamem, multis operatos iniurijs traxe-
runt. Qui animis in Christi gratia & benignitate
exultantes, hymnis & laudibus victoriam eius
virtute partam celebrabant. Postremo sua orati-
one cum eximia pietatis significatione, ceruices
suas carnificum gladijs subiecerunt intrepide, &
sic caelestes aeternae vitae coronas adepti sunt.

Populus qui frequens valde ad spectaculum
confluxerat, multis lachrymis felicem eorum fi-
nem prosequabatur. Sed illum diuina bonitas,
quae suorum virtutem gloriamque obscurari non
patitur, in magnam admirationem rapuit, quod
eodem in loco, qui sanguine eorum tinctus erat,
clarissimi fontis latices emanarunt. Est ibi tem-
plum egregio opere visendum, quod sacras eorum
reliquias continet. Non modo autem pij eius ter-
ra incolae, sed plurimi ex vltimis terrarum fini-
bus virtutibus eorum inuitati, summo eas hono-
re inuisunt, colunt, & amplectuntur; & caeli terra-
que creatorem in sanctis suis, qui Christi grum-
nas cunctis mundi delicijs praetulerunt, meritis
laudibus celebrare nunquam intermittunt.

VITA S. ATTALAE ABBATIS COENO

Vide Celsa. by Bobiensis, ex ea qua est per Ianam Scotum
Baroni. Abbatem eius discipulum. Claruit vero Anno
not. in mar- Redemptio. humana 626. Honorij Papa 1.
tyr. Rom. Heraclij Imp. 17. Sub Arigualdo,
Item Tom. Longobardorum rege, Ariano.

10 Martii.
Genus Atta-
lae clarum.

Attala Burgundiorum nobili admodum
genere ortus, cum a patre, Arigio quodam
ponti-